

Provincia Belgica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67277](#)



PROVINCIA BELGICA.



ENSENTVR in Prouincia Belgica distinctæ sedes duodecim, cum aliquot missionibus. In his versantur Socij 474. ex quibus 220. sunt Sacerdotes. Collegio Louaniensi continentur omnino 51. Sacerdotes ex his 17. studiosi Theologij 19. reliqui Coadiutores. Tornacensi 59. ex quibus Sacerdotes 16. Preceptores quatuor, reliqui aut Coadiutores, aut Societatis candidati. Audomarensi 36. è quibus Sacerdotes 16. Magistri tres, casuum studiosi 10. Coadiutores 7. In eadem Vrbe Seminarium est Anglicanum è Nostris nouem complectens, Sacerdotes sex, studiosum vnum casuum, reliquos Coadiutores. Duacense constat personis 35. Sacerdotes in his sunt 15. Professores sex. Philosophiae studiosi quatuor; adiutores reliqui. Antuerpiensi. Collegio continentur 28. ex quibus Sacerdotes 15. Professores 5. studiosus vnu; Coadiutores 7. Leodiensi 34. ex quibus Sacerdotes 17. Professores quinque, Coadiutores reliqui. Brugis numerantur 19. Sacerdotes 11. Professores 3. Coadiutores reliqui. Ipris sunt 18. Sacerdotes 8. Professores 5. totidem coadiutores. Cortraci duodecim, Sacerdotes 7. Pro-

fesso

fessores 4. reliqui Coadiutores. Gandaui 2. i. Sacerdotes 8. Professores 5. studiosus vnuſ, Coadiutores 7. Valencenis sunt 19. Sacerdotes 10. Professores 4. Coadiutores 5. In Collegio Insulensi versantur 26. Sacerdotes 14. Professores 5. Coadiutores reliqui. In domo Montensi 24. Sacerdotes 14. Professores 3. Coadiutores 7. Residentia Bruxellensis, cui Castrensis missio coniuncta est, complectitur e Nostris 30. Sacerdotes 19. Coadiutores 11. Cameraicensis residentia omnino 7. Sacerdotes 4. Coadiutores tres. Totidem resident Luxemburgi, Sacerdotes 3. Coadiutores 4. In missione Hollandica tres sunt dumtaxat. Sacerdotes. Ad alias regiones missi Sacerdotes 4. Coadiutori vnuſ. Sex vita functi. Ad Societatem admissi 38. Nunc de singulis aliquid sigillatum dicendum,

COLLEGIVM

LOVANIENSE.

MORTALIBVS eruptus est P. Ioannes Leidanus, annos natus 60, qui post preclara religioſe patientiæ in diutinis ægritudinibus tolerandis documenta, Nostris decedens exemplum, externis sui desiderium reliquit. Initio huius anni ex antiquis ædibus in nouas ampliores ac commodiores, quæ in ipso Academiæ gremio sunt, facta commigratio; in quibus tempulum amicorum liberalitate accōmodatum & ornatum. Aduocat loci commoditas plures, qui in eo sacramenta ſuiciant. Hinc numerus duplo maior in die Diuis omnibus laco apud nos viſus, vt à ſummo mane ad meridiem, Sacerdos qui ſacram synaxim porrexit, vix quieuerit. Utiles opera in confessionibus excipiendis poſta. Excepit vnuſ generales centum, & in his

Q. 2

annorum 50. ab alio 70. auditæ. Usurarij contractus re-
scissi, in quibus unus florenorum amplius mille: utiliter
in Nosocomijs opera collocata. Ad Ecclesiam Catholica-
m gremium reuocati septem. Quidam in hæresi enarratus
pertinax, imo ne monita quidem admittens, manum tan-
dem dedit, iamque litteris operam nauat. Tres alij abiur-
rata hæresi constantes persistunt: reliqui tres ex septem
generali ut ceteri confessione præmissa, eum quem in sa-
cramento negauerant, piè suscepserunt; in eo que sancto
exercitio perseverant. Ad erudiendos in fideli principijs
rudes nunquam ex hoc Collegio aut docentilium nume-
rus maior, aut fructus vberior; Illis Archiepiscopi Me-
chliniensis litteræ ad Pastores plurimum profuere; pro-
fuere & res piacularès liberali summa, etati teneræ exci-
tandæ ab amicis procuratae. Fructum testatur frequenter
in obeundis diuinis concursus. Pagus quidam qui exce-
pto Pascatis tempore omnino tres coelestibus epulis ac-
cumbentes numerabat, centum & quinquaginta, die San-
ctorum omnium celebri suppeditauit. Ventitant alij ex
pagis remotis domum nostram sacramentorum causa,
quod à fratribus nostris ea conferri non possint. Tam mi-
rum illorum, etiam nobilium in nostros charitas, vt eos
si quando dimittendi sunt, lachrymis perseguantur. In
puella quadrima, cerei benedicti vis in spectris effugan-
dis probata. Exercitia spiritualia utiliter tradita. His me-
dijs anni spatio, è nostris vhus 17. sic perpoluit, vt Socie-
tati nostræ nomina dederint quinque, Capuccinorum or-
dini duo, unus Augustiniorum institutum meditetur.
Sacerdos cum pellice ad hæreticos transfugerat, ductus
poenitidine, & hisce exercitijs perpurgatus, Christi rem
cum salute animarum constanter permouet. Accepit 2-
lius redeundi occasionem, quod in suis concionibus Pseu-
do apostoli, dum I E S V nomen venerabile crebro pro-
nunciant, ei nullam capite discoperto reuerentiam exhib-
beant,

beant, cum tamen litteræ sacræ testentur, In nomine IESU SV omne genu flecti, coelestium, terrestrium, &c. Hæc salutis initia, spirituali commentatione roborata hominem frugi reddiderunt. Idem cum Deo secessus vagabundum ac desertorem monachum summi Pontificis manum fugientem Deo, Ecclesiæ, religiōni restituit, Nunciij Apostolici gratia & auctoritate.

COLLEGIVM TORNACENSE.

HI C concionum fructus. Sanctimoniales omnem proprietatem abiecerunt, collatis omnibus in commune quæ penes se velut propria retinebant. Suo quoque manipulo non caret Christianæ doctrinæ traditio. Excitatæ sunt in hac Vrbe à Senatu Scholæ quas regunt ad informandam iuuentutem puellæ graues, & modestæ. In his instituuntur à nostris puellulæ in fidei rudimentis. At etiam maiores eō confluunt, puellarum præsertim industria allegetæ. Hæresi quædam infecta, vt veniret, victa est, & salubriori hausto medicamento virus euomuit; quod hisce scholis ad extremum usque spiritum, acceptum tulit. Altera flamas experiri potius quam religionem Catholicam complecti testata, tumentes animos religiosè depresso, ac veritati paruit. Persequebatur altera hasce scholas, probris & maledictis eas incessens, diris autores eartim deuouens, dígito Dei tacta, in Clarissarum numerum cooptata exemplo est plurimis. Nec mirum si in has Dæmon, & eius administri fremant: Ex his enim eductuntur tanquam nouæ plantæ, que euilfis antiquis erroribus, in vita probitate hac in Vrbe à memoria hominum profigata, suc-

Q 3

crescant & surculos producant. Ad duas & viginti, relata-
bantibus parentibus(hæreticis etiam quibusdam) mundo
nuncium remisere,familiæ super viginti harum consortio
institutæ nouam vitæ rationem inierunt. Exercitijs spiri-
tualibus suis quoque fructus non defuit.In casses Domini-
ni,nobilis quidam sese induci ac vinciri hisce sanctis vin-
culis permisit,religionem voto ac desiderio complexus.

COLLEGIV M AVDO- MARENSE, ET SEMINA- rium Anglicanum.

ELICITER hoc anno scholæ quæ ingen-
tem quæ bello, quæ pestilentia acceperat clâ-
dem restitutæ. Multi, quibus ad cor Dominus
in ocio ac secessu sancto locutus , nouam vi-
uendi rationem instituerunt. Quorum unus domi nobilis,
relicto in hac Civitate suaui ac grato odore nouæ con-
uersationis,Societatem nostram inijt.Missiones perutiles
ad Urbes quinque adiacentes institutæ, in quibus & desi-
derium Societatis relictum,& animorum motus & mo-
rum mutatio non vulgaris. Velitationes ad pagos non-
nunquam frequentiores à pacis promulgatione , necessi-
tate hac per bellum(quod in belluas homines commu-
nat)inducta. Sex è nostris super triginta pagos complexi
incredibilem fructum pepererunt : per pulchrum videre
sacris diebus etiam in officio vespertino , quod omnino
negligebatur; tempia hominibus referta , præsertim ubi
catechesis expectatur;tanta est Nostros audiendi audita-
tas & desiderium. Monasterium Deo sacratarum Virgi-
num est, quod mirum quantum opera nostra beavit.Eli-
minata

minata est ex eo, cœnobiorum pestis, proprietas, secularibus adeundi, Virginibus exeundi libertas, arcta, spontanea tamen clausura coercita: omnis simoniæ species ad impetrandam admissionem sublata. Reuocata animorum concordia, reuerentia erga superiores; rerum diuinarum studiosus & frequens usus; disciplina denique religiosa egregiè restituta. Non defuit Nostrorum auxilium extremo afficiëdis supplicio. Quo in genere fuit illustris trium mulierum quæ ementito habitu & nomine se AEgyptias dicunt, conuersio. Hæ ob furtum sacrilegiumque captæ, vbi eis sententia prolatæ, in rabiem versæ, nullam vitæ bene terminandæ spem relinquebant. Eurore paulatim deferuente, admissis Nostris, in fide & moribus instruæ, feliciter cum omnium gaudio & gratulatione mortem exceperunt. Dissidia ac inimicitia, quæ multis annis infederant animis, extinctæ. Compositæ lites magni momenti, quæ omnium iudicio inextricabiles finem nunquam habituræ videbantur. Florent in hac Vrbe tria seminaria, quæ Scholas nostras vehementer nobilitant. Primum Bertinianum à fundatore nostro b. m. Gerardo Hamericourt pauperibus studiosis erectum. Alterum Canonicorum est, qui prædecessorum liberalitati insistentes in dies vestigal augent, ijs educandis qui suo tempore Ecclesijs curandis præesse poterunt. Tertium Anglicanum Philippi II. Regis liberalitate institutum, de quo nobis iam dicendum erit.

SEMINARIVM Anglicanum eum sparfit odom virtutis ac profectus in litteris, & moribus informandis, vt nullus propemodum sit in Anglia Catholicus, qui in eo filios educari non magnopere desideret. Is etiam animus pueris veniendi est, vt dulcissima patria, atque parentibus posthabitæ, in mari hostiumque pericula se coniijcant siccis oculis, & parentum immemores. Crevit domesticorum numerus ad centum

& sex, quos haud dubie diuina aluit prouidentia. Obiit
vnius hoc anno de sanguine regio, maior pietate & inge-
nio quam ætate & corpore: cui & in vita & in morte hu-
mani generis hostis struxit insidias: sed infatigabilis ob-
stitit puer, atque de eo ante mortem, ut Nostris indica-
uit, triumphauit. Tres ex Anglia à suo Pædonomo per Gal-
liam deducti ab eodemque, fidum viæ comitem arbitra-
bantur, insidias passi in conspectu propemodum Urbis
huius. At dum pecunias tollere vult, clamatum: Captus
est à rusticis prædo, & in carcerem coniectus: Nostrorum
precibus liber ad Seminarium venit, ybi institutus in si-
dei rudimentis, totius vitæ confessionem fecit, & cibo
refectus; ac pecunia, quæ ei alioquin pro mercede labo-
ris debebatur, donatus, in patriam redijt, gratias agens
Deo quod in tales incidisset, qui pro malefactis beneficia
rependerent.

COLLEGIVM DVACENVM.

RAE CLARA domi, sed communia facta,
præciariora foris. Excusum in ciuitatem vi-
cinam. Is motus ex concionibus excitatus ut
centum Nostrer confessiones generales exce-
perit eorum, qui nihil se fecisse arbitrantur, nisi alios ad
idem præstandum induixerint. Miles abiecta pellice ho-
nestas nuptias secutus. Octo cum magno sensu & fructu
spiritualibus exercitationibus exculti. Decem Deo dica-
tarum Virginum, quæ infirmis opitulantur, dum à Nostris
Noocomia vifuntur confessiones generales exceptæ.
Animi disidentes in amicitiam rediere. Nobiles, fratres,

maritus

maritus cum uxore animis corporibusque se iuncti, et si
egre manus tamen amicas dederunt.

COLLEGIVM
ANTVERPIENSE.

LO R E S egregios Scholæ nostræ hoc anno dederunt eruditione & pietate illustres, quorum decem varijs religionibus nomina dederunt. Aucta bibliotheca: sed magis ornatus templi cortinarum magni valoris accessione. Militum propugnacula vicina Nostrorum caritatem experta; concionibus, consilijs, confessionibus aures dederunt. Restitutiones æris alieni factæ non vulgares. Concordes euasere nobiles familiæ quatuor, quæ in mutuum ibant existium. A turpi ad honestam vitam reuocatae plures; Duæ quæ se prostituerant; aliæ à septenni adulterio; à concubinatu aliæ duæ: quarum altera sexennium, altera trienium in hoc cenoso volutabro absumpserat. Adolescens consuetudine concubinæ sexennio amplius infamis, expiata per confessionem foedè decursa vita, magna amicorum suorum voluntate, eam tandem suscepitæ prolis matrem duxit domum. Tres denique pellice reiecta, qui ante adulterio assueuerant, castam vitam amplexi.

C O L L E G I V M L E O-
D I E N S E , C V M M A S E C A -
N A , E T H O I E N S I
 Missionibus.

HUMANIS rebus erexit est P. Aegidius Ruetius, in confessionibus excipiendis & ruditioribus erudiendis infractus, eo die ac ferme hora qua Seruator noster morte sua collapsum genus humanum erexit, ac restituit. Permouit Nostrorum graui verborum pondere ante decessum, omnes ad labores Christi in eius vincia subeundos adhortatus. Laborum nostrorum hic fructus, ut supra bis mille quandoque sacris epulis se reficiendos offerant. Scholæ in dies noua capiunt incrementa, iamque septingenti quatuor classibus numerantur. Alumni Parthenici Sodalitijs nihil de solito remittunt feruore. E quorum numero lectus adolescens periculois morbo prostratus est lecto (ut potest) repens, patris sui pedib. aduoluitur supplex. Annuit pater vir eruditus filij petitioni: Postulata charta filius tremula manu votum conscribit, ingressorum se Societatem I.E.S.V., si ei Deus sanitatem restituat: hanc mentem a nullo mortalium, sed a Deo solo iniectam affirmans. Conuuluit iuuenis, & nunc in classe sua studia prosequitur. Visuntur Leodij quæplurimi qui carbonibus ex fossis eruidis electu queritant: eorum miserrima vita conditio: quippe qui ferarum more in antris & abditis terræ viscerebus, vincti catherinis, totos dies vix oculis cœlum, cœlites mente haudquam tota vita intuentur. Deterior sœpè illorum exitus erumpentibus non raro aquis ex venis subterraneis quæ imparatos ac euadere nescios absorbent

sorbert. Nouissimè id accidit desideratis non minus duodecimt. His per catecheses lux veritatis allata, comparata etiam eleemosinę quibus illorū inopia subleuata est.

MISSIO Mafecanā ex hoc Collegio prodit; cursusque tenuit hoc anno exoptatum; & si pardus colores non mutet, hanc ciuitatem mutasse qui ante viderit ac nouerit, asseuerabit. Id in ea singulare. Consules ac Senatores emissā sigillatim fidei professione, sacramentis frequentandis operam dare. Recusauit vius, ideo à Senatu petendo exclusus est. Cumque Ihes æstate & autumno, integris vndique locis vicinis, Mafecam cingeret, contagio tota vrbs tacta non est, huius solius excepta domo, qui fidei professionem edere recusarat, omnibus diuinam prouidentiam denotantibus. Hæc etiam missio suis velitationibus non caruit. Excusum Stochemium: instituta iuuentus: Pastori ac Ludimagistro ut prosequantur persuasum. Magici libri atque hæretici vulcano traditi. Hamucium quoque ac Brea Leodicæ ditionis oppida religionis sua habuere à nostris subsidia. Oportunè sane, nam aut Pastores deerant, aut ignari linguae vernaculae. Exclusus Magister ludi alioquin admittendus, qui hæreticus cum esset, sua industria ac dicendi copia omnibus sese probauerat.

FELICIBVS auspicijs Missionis Hoiensis progressus respondit. Taceo quæ communia sunt. Fructum ex hoc collige. Vsum sacramentorum solito longè frequentiorum. Vno mense 20. confessionibus generalibus aures datae. Purificatæ Virginī Die sacro, et si bacchanalia in illum diem incidenter, apud Nostros supra 80. in alijs locis quamplurimi, coelestes epulas quæsierunt. Cuidam cœnobio forma ea redditæ, quam & antiqua regula, & Tridentina Sinodus expresserunt. Vir honestus audita pro cōcione Seruatoris nostri in perferendis iniurijs patientia, extempio coram Pastore testatus est se inimico, qui cum iniu

injuriarum in iudicio iam multos annos agebat eas libenter pro Christi amore remittere. Hæc ex multis pauca.

C O L L E G I V M T R A I E C T E N S E .

TRAIECTINVS ager suam messem copiosam reddit. Parthenij Sodalitij feroor his regionibus insolitus. Instituta enim supplicatione pridie parescenes nudis pedibus ac horrido sacco vestiti prodiere ad 48. quorum 18. ad copiosam usque sanguinis profusionem se verberabant. Sacris D. Seruatij exuuijs honorandis ex varijs regionibus venerabundi Traiectum adueniunt. Nostris bene de eorum salute promerendi ansa ac occasio maxima. Ea non omissa; datis Seruatianæ Ecclesiæ quotidie adeundæ patribus duobus. Eorum alter aduentantium generales confessiones ducentis amplius excepti plurimi animæ maculis rite deteris lati in patriam rediere. Alij accepti præsidij causa, in animo per confessionem à Nostris acceptam, eum locum pararunt quo liberatorem exciperent lacrosantis tectum mysterijs, qui B. Seruatij se meritis vindicarat. Inter alios Britannus quidam sub Mercurio Duce merrens septem annis arctissima prædonum custodia detenus est. Ei ligatis inanibus licet ac brachijs, inuocato S. Seruatij prædio, erupta vincula sunt: ipsisque custodibus altum dormientibus evasit nullo fugientem prosequente. Beneficij memor gratias acturus venit liberatori suo, qui à Nostris confessionis causa exceptus, latutus ad suos rediit. Religio in obeundis sacris crescit in dies. Quod ex hoc colligas, in angusto facello supra mille nonnunquam videri coelesti pane refici.

COL

COLLEGIUM BRUGENSE.

BRUGENSIVM sementis licet ob hostium propinquitatem angustior messis, tamen eorumdem de more fuit angustior. Eiusmodi ha- resi quatuor veritatem complexi sunt: quo- rum unus parentem in fidei professione sectitus, deteratis animæ, maculis graui corruptus febri, feliciter emigrar- uit, ingenti parentis gudio. Sodalitij Parthenij laudibus accessit, illustris equitum Praefecti mira pietas. Cuius ei- xemplò quidam è Scotia prima nobilitate ascriptus est. In egenos sacrumque instrumentum spectata multorum beneficia: auctum illud prelio non vulgari. Ara quo- que sacra insigni decoratur pictura impensa liberali. Mu- tutæ Scholæ in alias laxiores, Collegioque viciniores. Ac- cessere liquidem etiam misero hoc rerum statu terræ, eæ- que satis amplæ ac percommodæ vicinorum ædes. Ita fuorum (e gentibus infumeris) prouidet etiam commo- ditati bonus & benignus Dominus. Suborta interea præ- postera quedam Curionum in nos æmulatio, se deserit, nos celebrari, è cathedra libefitis atque indignitus con- querentium. Verùm nostrorum vigilantia à loci Episcop- po serio coimonefacti conqueruerunt.

COL

C O L L E G I U M I P R E N S E B

EOE CVNDVS Iprensi vineæ hic annus
 fuit Parthenia Sodalitas renouata, ampliata
 que ad illiteratorum inscriptionem. Effectum
 tandem Episcopi Senatusque auctoritate, vt
 rudibus ad fidem informandis scholæ erigerentur. Vtri-
 que sexui in ordinem digesto pulchre prospectum. Con-
 cionum labori fructus quoque suus respondit. Coniuges
 honesti cum prole non infœcunda, minime tamen locu-
 pletes, auditæ præclara illa benignitatis iuxta & caritatis
 in ærumnoso historia, Anastasij & Theognie (cuius in vita
 S. Basili meminit Amphilochius) permoti, mulierculam
 corporis pedore & animi infania miseram, domi ut the-
 saurum abdidere: à qua præter molestias, sordium pur-
 gamenta, ingrati animi significations solatij nihil exper-
 ti, nihil tamen vñquam de charitate & patientia remise-
 runt. Vnicum doluere; quod speratam suarum virtutum
 messem immaturior misera mors præproperè præcide-
 rit. Nequaquam tamen eorum constantia debilitata est.
 Sumptam enim aliam è plateis puellulam, vt natam edu-
 cant, & tanquam de filia benè merentur. Ab hæresi reno-
 cata mulier, quæ conuerti nescia extremos penè mundi
 recessus quæsierat. Amburgi (quod oppidum Damiæ est)
 marito mortuo hanc vocem audiuit: Vade mulier & sa-
 lutem tuam quære. Ipras tandem non religionis, sed ne-
 gociorum causâ pertracta, Nostrorum opera virus eu-
 muit, testata constantiam cum rerum diuinarum vñ &
 virtutum operibus, tum exerta fortitudine in hæretico-
 rum à se blanditijs ac artibus profligandis. Rei ad mor-
 tem piè obeundam instructi, adiutiique, quorum vñus
 prostra

prostratae salutis, excitatus ad mentem rediit, & instar agni post ingentem furorem sese exhibens, libenti animo mortem exceptit. Templum liberalitate amicorum opulentatum. Oblati quatuor aræ summae tapetes penitentes. Altaris tabula ea colorum elegantia variegata, ut nescias pulchritudinem an precium sit preferendum. Consilio nostrorum virgo stationis religiosæ pertesa ac fugam meditata, à sacrilego proposito destitit. Mulier ipem omnem salutis abiiciens, dum se sentit ad grauiissima facinora patranda dari præcipitem, magum (quem melioratorem vocant) auxiliij causa non est verita accedere. At ille nec carminibus, nec præstigijs quicquam profuit. Nostris se committens, sacramentorum usu è longa patientia pristinæ sanitati reddita est.

C O L L E G I V M C O R T R A C E N S E .

PIoanni Hagio post ingentes morbi labores, calculus anserino ouo maior vitam extorsit miseram, adituro meliorem. Scholæ Cortracenses discipulorum nobilitate ac institutionis norma, famam vincunt. Exteri enim aut Principum, aut nobilium certè filii sunt: quorum non pauci primas inter suos obtinent. Traditione Christianæ institutionis domi forisque prosperum sortita euentum, successit ex votu. Virginum coenobijs submissum auxilium, animi sedati, & conscientijs sua pax restituta: Ex uno, proprietatis impium ius proscriptum: considerè fœmineæ altercationes: nulla vi, nullo strepitu, benevolus omnibus, amor obseruantia regularis ac rigoris aucti excitatus. Nostrorum cum externis usus, plurimis optatam animi pacem reddidit

dit. Consultum cuidam quæ à rationis fide, nimia corporis afflictione p̄t opem dū exciderat, ut in diuina voluntate in omnibus acquiesceret. Fecit & quieuit. Altera desperationi proxima sacramentorum consuetudine ad tranquillitatē reuocata est. Tertius cœræ benedictæ & confessionis beneficio à præstigijs Dæmonum liberatus, qui ante turbabatur ita multis, ut iam Hostis arbitrio videretur esse permisus. Virgines duæ neglecto vestium luxu, ac vita huius illecebris, castis sodalitijs se se constrinxere. Tres aliae maioris perfectionis appetentes monasticam vitam delegere. Hæresim aburata quini sacramentorum usu commutariunt: in his unus viginti, aliis triginta texerant errorem, modò turpitudinem illam Catholica & rara pietate compensant. Quini alij baptizati ab hæreticis, Ecclesiasticos ritus exacta iam ætate admirerunt. Prædones Angli quatuor, qui cum lacte hauserant errorem, lucem veritatis admittentes, mortis suppliūm piè admodum subierunt.

COLLEGIV GANDENSE.

SEMPETRATA hoc anno vestigium Regiorum immunitas quæ toties petita spem nostram fugere videbatur. Supellex sacra egregio calice, ac alijs ornamentis præstantibus aucta. Concionum fructus ex benignitate in studiis fo- uendis emicuit: quorum patrocinium ac causam multi ex nostri concionatoris commendatione suscepserunt. Plorimi tota vita lustrata turpitudinem omnem abiecerunt. Anulsi à religione ei se reddidere. Cuidam in Lutheri infania educato, congressu cum nostris, retusus spiri-
tus

tus altiores, spem tandem salutis ipse pollicetur optio-
mam. Beatæ Virginis alumni toti ciuitati egregio sunt
ornamento. Constat verò Congregatio centum quin-
quaginta tribus ex omni ordine, morum honestate, &
scientia selectis. Ex his diem clausit extremum vir domi
nobilis, ordine senatorio clarus, Deiparæ Virgini admo-
dum addictus. Eius religio in vitæ termino emicuit, quo
tempore, eò, vitæ cælestis recordatio hominis mentem
abstulerat, ut nihil in hoc mundo habuisse videretur. Ac-
cepto demum salutari viatico in hæc verba prorupit:
Quid moror in terris? cur in Dei optimi amplexus illi-
cò non feror? Postulatam dein crucis imaginem comple-
xus, & exosculatus humeris imposuit, suauissimumque
IE SV nomen ingeminans, suauiter in Domino quieuit.
Mulieres aliquot a foedis voluptatibus ad pudicitiam re-
uocatæ. Aliæ deposito curioso corporis cultu superbię &
fastui nuncium remisere. Virgo locupletior torques, ar-
millas, aliâve ad vanitatem comparata; pecuniam etiam
ad voluptatem concessam pauperibus erogauit. Ex disci-
pulis nonnulli contempta libertate varijs sese cœnobij
manciparunt.

C O L L E G I V M VALLENCENENSE.

DIVINIS rebus procurandis Vallencenenses nihil reliquis Collegijs cedunt. Brevis ut sim suadet earumdem repetitio rerum. Aptatum hoc anno ex aula, & apertum usibus aduentantium facillum exiguum quidem, quod tamen plures nobis aduocitet quam alieno templo utentibus: rara illud benevolètia, brevi, & necessarijs rebus donatum, &

R

ornamentis preciosis instructum. Hoc primatibus ratum fixumque non quiescendum donec exigui facelli angustiae in longum latumque templum assurgant. Ex catechesi domi forisque suus constat fructus. In vico quodam die Cœlitibus omnibus sacro, triplo plures solito cœlestem mensam obierunt. Sublata quoque deserendi sacri consuetudo perniciosa, à diuinorum mysteriorum eleuatione. Reconciliati dissidentes; Pastor cum nobili, fratres quoq; duo non ignobiles. Puella à septennio hæretico veneno per matrē imbuta, perpurgata, & fidei professione & peccatorum confessione ad feliciorem vitam euolauit.

COLLEGIVM INSVLENSE.

RE S è Nostris contagiosa lues absumpſit, P. Quintum Dennetier annos natum 60. ex quibus quatuor & viginti in Societate decurrit; virum cum alijs rebus religiosum, tum sui ipsius demissione charū, pauperumq; ac rudiū catechesi iuandorum zelo ad finem vsq; laudabili. Qua etiam in occupatione versantē mors & quæfisse & inueniſſe videtur. Sartor erat alter Iacobus Preuost, probationis altero anno nōdum expleto, spe & virtute probatus. Tertius Iani tor, Guilhelmus Columbinus, mentis puritate, & morum suauitate columbus: laus eius primaria in obedientia promptæ ac perfectæ obſeruatione versatur: Nescias an prius nutum superioris conspexerit, an tetra lue laborantibus opitulaturus adfuerit. Tactum venenato contagio vis febris ardentis sic hominem versabat in diuersa, ut ni quiesceret agitatio nimia ei exitium effet allatura. Rogauit Rector ut nonnihil se continens Medico acquiesceret

quiesceret. Ea vox usque adeo hominem inquietum defixit, ut omni violentia liberum crederes. Identidem has voces, ô IESV, ô MARIA, ô P. Ignati, ô P. Xaueri ingeminans, cum unum de Collegio nominasset qui suo nomine erratorum admissorum veniam postularet in triclinio, feliciter migravit, eos visurus quos paulo ante inuocauerat. Ecclesiae ab errore redditum quinque: in illis puella prænobilis ad aliorum perniciem mirificè docta. Cömunicantium festis & Dominicis diebus visitatior cursus ad 600. est: Calendarum dominicis ad 1000. festis celebrioribus ad 1500. Puellæ complures ex sacrae nosterum usu nobilitatem ac diuitias in nobilissimas religionis opes commutarunt. Inimicitiae decennales patris cum filio extinctæ. Ludificantis dæmonis spectra salubri remedio fugata. Habet hic Deipara Virgo ex utroque Sodalitio virorum iuxta & puerorum suum & honoris debiti, & aucti cultus splendorem. Reuerendissimus Tornacensis Insulensem vineam lustrans ex officio, huius preclaris coetus odorem persensit, eumque & sua præsentia, & sui Ecclesiastæ adhortatione decoratum voluit: confessusque tam selecti (erant autem præsentes ad 140. ex primarijs ciuium ferè omnium) aspectu adeo recreatus est, ut ad Indulgentias solitas auctario perpetuo suas accedere in benevolentiae argumentum, voluerit. Fit ergo in his rebus, tum id genus alijs, ut optima Societatis opinio apud summos iuxta & iafimos nobis gratiam & auctoritatem conciliet non minimam; libet consilijs nostris arcana sua committant: & de successu gratias agant: certent denique in dies magis qui de magistratu sunt, ut amicitia & beneficentia erga nos sua, quam propensissimi videantur.

DOMVS MON- TENSIS.

M E R S I T tandem Montensis sedes, & post annorum 12. residentiam R. P. N. Claudij Aquaius permisso scholas dedit, saniorū quorundam de Senatu qui vectigal auxit studio, ac contentione eas postulantium. Superiori loci, ac domui ob dotem incompletam Rectoris & Collegij nomen negatum. A Deo inchoata res. Sacro numini incruento oblato sacrificio, cui & Senatus & Ciuitatis primarij praesentes fuere. Luculenta deinde oratio scholis aditum patet fecit; dato oportuno tempore tragicomoedia de Patre familias peregrè abeunte. Permutit actio, auditoribus elicuit lachrymas, & discipulos nouos allexit, qui ad ducentos collecti sunt. Progressus prælectionis catechistica hic fuit, vt scholas quas dominicales vocant, excitarit. Inimici Pater & filius nobiles; ciues quoque alij duo in mutuum exitium abeuntes, positis odijs coiere. Aucta Xenodochij suppellex, Nostrorum hortatu, vestesque egenorum commodis adiectæ, totusque locus perpurgatus, qui ante olidus & sordibus squalens, incommodam ægris præbebat habitationem. Crescit ciuium in nos benevolentia ac beneficentia, quam experti sumus hisce egentissimis temporibus, adeo ut necessitati nostræ abunde sit factum satis.

R. I.

R E S I D E N T I A B R V-
X E L L E N S I S , C V M
M I S S I O N E
C a s t r e n s i .

BR UXELLIS Curiæ locus, rei benè gerendæ & Dei gloriæ promouendæ occasio non minima. Ea à Nostris prætermissa non est. Duo templo concionibus faciédis peropportuna accessere stationi ordinariæ & quidem ex primarijs. Tribus Principibus fœminis ex Regum Cæsarumque stemmate ortis, regis Poloni coniugi, eius sorori, Phillipo III. Hispaniarum regi destinatæ, Ducis demum Sabaudi uxori iusta, in aula persoluta. Ex hac domo electus orator, qui latinis orationibus insigni gratia pronunciat, trium potentissimarum Principum funera præclarè cohonestauit. Is ad ædem sacram diuinarum rerum causæ concursus, ut nec nostrorum sacerdotum numerus, nec locus, nec laborantium vires aduentantium desiderijs respondeant. Taceo consueta munia, quæ non imparem aliarum sedium & laborem & fructum pariunt. Hac industria Sacerdos noster iratum patrem in filiam, quæ à famulo compressa delicti veniam, ac nuptias postulabat tegendo criminis, flecti nesciam, in preces suas pertraxit. Quid si, inquit, rerum omnium parens Deus pedibus tuis prouolutus hanc à te gratiam contenderet, negares? Handquaque respondit ille. Tum Sacerdos flexis ad terram genibus. Ego, inquit, nomine eius hoc facio. Virtus pater & veniam filiæ, & filiam famulo concessit. Ad generalem totius vitæ confessionem inducti plurimi, cum ex Curiæ sequacibus, tum ex Urbanis. Multorum vita

peccatis ferendis assueta in melius mutata, eam mentem conuersis iniecit, ut malint mendicato viuere, quam cum scelerata conscientia diuitijs ac delitijs abundare. Supellex sacra augetur in dies. Pristinis ornamentiis additi calices duo, tantumque auri quantum hierothecæ conficienda satis sit. Hæc matronæ religio, ne Nostri aliena vti co-gerentur.

C A S T R E N S I S Missio laboribus multis ac vita periculis exposita, excellentem ac copiosum laboris fructum collegit. Belluas immanes ad humanitatem reuocauit. Erroribus à teneris immersos ad lucem veritatis reduxit: fidei lumine imbutos instruxit, purgauit, & perpolliuit. Hiberni sunt in castris, Angliique cum varijs nationibus mixti. Ex his nonnulli sine religione, dæmonis ludificationibus mirè expositi. Visus est quidam media luce in aërem tamdiu leuari, donec hæc voces infonarent: Dimittatur rursum, quia nondum est tempus. Sicque pristino loco redditus est. Nocturnis identidem monstrosi sæpe percussus, cum ludificantem dæmonem signo crucis abigeret, audiuit: Hæc oportunè fecisti: alias male tecum fuisset actum. Alijs duobus utiliter cacodæmon apparuit horribili specie. Priorem ardente face quam manu gestabat eo exanimauit metu, qui salutis ei adferret initia, progressum, & laudabilem vitæ morumque mutationem. Alter ad inferorum fauces pertrahi videbatur: præsidio nominis I E S V usus, votoque Virgini Deiparae Hallensi nuncupato, liber euasit. His ergo lux veritatis allata non frustra. Supra viginti Ecclesiæ reconciliati, ac confessio-
nis remedio, quo nunquam usi fuerant, præteritam vitam abstulerunt. Auxilio nostri Sacerdotis qui & plures alios fœdo concubitu auocauit, & perperam initia matrimonia dissociauit. Institutum quoque inter eos venerabilis Sacramenti sodalitium, cuius albo ascripti sunt quamplurimi, pietate & exemplo alijs militibus plurimum
prælu

præluentes. Sclopetarij processionem suam insigni religione & animi lætitia decorarunt, multorum animos in admirationem rapientes, præsertim dum vexilla ad Sacerdotis, limina ineuntis, pedes, ut pueri Hebræorum triumphanti Christo, reuerentię cauila strauerunt. Horum plerique Quadragesimæ tempore à lacticinijs abstinuerunt. Alij quarta & sexta ferijs atro pane & aqua contenti: alijs nudis pedibus loca sacra obierunt: inter quos unus grauissimè saucijs diutijs ex ædibus pedem ferre non potuit. Alij flagellis ita corpora dilaniarunt, ut intuitibus esset horrori. Germani Nostros scommatibus solebant excipere: ex quo vitæ religiosæ proposita pabula degustarunt, eos admodum reuerentur, & complectuntur ut Patres. Ex his viginti eiurata hæresi Catholicam religionem professi sunt. In castris Catholicorum fructus vberior. Quidam miles grandæus & annis & peccatorum consuetudine, Nostrum pro concione hæc verba promincentem & exemplis explicantem audiuit, Cor durum inalè habebit in nouissimis, ut alter Saulus, animo prostratus est, diuini verbi vi, & B. Paulus (cuius conuersioni dies ille facer erat) meritis, & populo abeunte, ad Sacerdotis pedes se abiecit, totiusque vitæ acta insigni pœnitudine aperuit, incredibili secura consolatione perfusus. Scorta aliquot cum sapere nollent subsequentibus pueris ac militum calonibus procul abacta, & luto, puluereque conspersa, non ausa sunt reuerti. Militi cuidam cultui Virginis Deiparæ admodum addicto, non est veritus cacodæmon conscientiam discutienti iugulum petere. Hunc virum Beatissima Virgo visa est aliquoties inuisere, & suum cultorem à discriminé liberare. Sacris coeremonijs ac exorcismis Ecclesiasticis plurima pecora à sagis maleficiata sanata sunt, quos antequam Sacerdos pronunciaret, horreum infestum ruinam strepitū ac concussione minari videbatur. Fugissent fortissi-

mi milites, qui spectatum venerant, nisi sacris munici-
toreis, & exemplo constantiaq[ue] Patris excitati, con-
stitissent. Milites duello se conjecturi, ad Patris pedes
aduentantis, arma proiecere. Alij crapulæ & ebrietati
assueta, sobrietati assueuerunt. Quoties cum hoste con-
grediendum, prima Nostrorum cura fuit, vt milites ad
poenitudinem promouerent, eorum animos ad con-
stantiam in perferendis aduersis confirmarent, & pro-
posita Christi cruci affixi imagine ad fortiter prælian-
dum excitarent. Non puduit Chiliarchas, primosque
militar[um] ducēs ē media acie prodire, & flexis popliti-
bus, animi noxas deponere, malentes hoc pudore cor-
ram hominibus suffundi, quām contaminari peccatis,
amissaq[ue] sempiterna vita, Deum iratum experiri. Re-
fusuit vir primariæ authoritatis à iurandi consuetudine
inueterata, & vt exemplo sit offensis, historias sacras
legit & oportunè recenset. Quidam ruebat in mor-
tem inimici: at in Sacerdotem nostrum prius incidit, ef-
fectumque est, vt aperto sponte ulceri, ac reliquis to-
tius vitæ noxis præsens medicamentum adinoueretur.
Hinc supplex iste factus ei quem trucidare volebat, no-
nō se inter se amicitiae vinculo complexi sunt. Pacis con-
firmandæ causa inter Hispaniæ & Galliæ Reges Illu-
strissimo Aragoniæ Admirallio Galliam adeunti, ascitus
est ē domesticis vnuis. Non omisit ille Parisijs rei benè
gerendæ occasionem. Adiuti sunt ij qui carceribus adti-
nebantur.

RESI
resupponit caput, cuius erat sacerdos in aula, & si non
est inuenit nullum in aula, resupponit caput, cuius
erat melius, mundi in iunctu uno hisce capo non

RESIDENTIA CA- MERACENSIS.

CAMERACENSIS vinea vt intempesti
uè præcisa, vulneris recentis dolore, adhuc la-
chrymas mittit; argumentum tamen vitæ , &
non desperati fructus. Pax patriæ redditæ
campos liberos velitationibus Societati consuetis ape-
ruit. Collecta Pastorum benevolentia est, qui in sua syno-
do, nostrum concionatorem tertio habere voluerunt. In
præsidiarijs erudiendis atque erigendis vtiliter opera at-
que industria collocata. Dæmonum vexationes sacra-
mentalij confessione, ac cerei benedicti gestatione repul-
ſæ & extinctæ. Puella duodennis morbo comitali, vi dæ-
monis agitata, expiatione generali sanitati restituta est.
Lites ac dissidia magni momenti composita. Cœtera sup-
presso, ne eadem ſæpius cogar repetere.

RESIDENTIA LV- XE MBVRGENSIS.

VILITER Nostrj Luxemburgi resident.
Testatur diuini cultus studium. Profanis æquè
aſtantes tremendo sacrificio videres, ac sacris
diebus. Icones , agni consecrati , refisque aliæ
piaculares ea veneratione h̄ic sunt, vt magni beneficij lo-
co ducant; etiam grandiores , ſi vel vnum à Noſtris con-
ſequantur quod è collo piè ſuspendant. Hinc bellum illa-
tum ſuperſitionibus , quibus iſte Ducatus ſcatet. Cate-

cheses habitæ tum ad maiores, tum ad iuniores, cū optato fructu. Confessiones decursæ vitæ sæpius auditæ, etiam Religiosorum diuersi ordinis de suorum superiorum voluntate. Ab hoste, tertio Ciuitas hæc octidui spatio insulatum passa, diuinam protectionem experta est. Interea Sacellum nostrum timore perterritis asylum fuit, in omnem sortem & euentum per Ecclesiæ salutaria remedia sibi consulentibus. Hoste spe sua frustrato, solemni supplicatione, in gratiarum actionem, Deo litatum est. Authore Senatu (quod in similibus coitionibus facere solet) noster Ecclesiastes ad permouendos supplicatiū animos ascitus. Duo militiæ duces dissidentes Nostrorum hortatu inimicitias deposuerunt. Societatis bona existimatio plurimos è Curionibus nobis deuinxit, magno eorū & subditorum emolumento. Eadem omnium in nos, propensos reddit animos & beneficos. Hinc ad templi ornatum facta accessio, quem Ecclesiastici sanctè æmulari conantur, & populi pietas in cultu diuino & sacramentorum frequentatione in dies ut speramus sumet incrementa.

MISSIO HOL- LANDICA.



ALVMNIA M grauem Dei & administrorum eius iuratus hostis, Societati nostræ, ac nominatim Collegio Duacensi inferre conatus est, amentia cuiusdam Petri Panne, Iprensi ciuitate oriundi, hominis sine cerebro, bonorum suorum decoctoris peregregij, vsus: qui ad inopiam redactus, dum in Hollandia incaute versatur, (malitiâne, inductione, an stultitia excitus, latet) effutij manu se armata venisse, ut Mauritium exercitus Hollandici ducem tollat è medio.
Captus,

Captus,& in quæstionem actus,dum in dies nouos authores incentoresque mali comminiscitur , tandem se inductum refert à Præfecto(yt aiebat)& Rectore Collegij Duacensis,eoque in loco, eum Patrem qui toti Provinciæ præest,sibi omni honoris, ac benevolentia significatione, excepto, si facinus aggredi, perficereque valeat, quadringtones aureos, Collegio Duacensi ab Irenensi Quæstore annuè debitos,esse pollicitum; spemque factam obtinèdi sibi officium Nuncij Ipris ad alia loca proficiscentis , valoris ducentorum ducatorum ; filium Tornaci Canonicum futurum:sedes ipsas beatas patefactas ac paratas,ad cœlites,animo & corpore gloriosè euolaturo , si in opere ram heroico mori contingeret. De manu quoque Provincialis,(facta priùs exomologesi)sacrum viaticum accepisse,quo accensus tantum facinus aggredi non dubitaret.Fatenti insano data sententia : amenisque omnium iudicio ad extremum supplicium se duci passus. At capite plexus est. Enimvero sententia Lerdani Senatus typis excusa, longè aliter quam res palam actæ erant, renuncians. Apologiæ nostrorum per totam Hollandiam sparsæ , & ad exterias nationes datæ:falsitas rei per Senatum illarum ciuitatum in quibus calumniator, se,aliosque quos iniquè traduxit,fuisse & egisse asseuerarat , discussa,cognita, testata , totam illam mendacij fabricam , & fabulam cum theatro euerterunt. Quanquam non sine honoris diuini detimento nationes hæresi infectæ , tali prætextu & occasione vti meritò potuerunt vel ad excludendam , vel non admittendam,vel denique proscindendam Societatem,etsi omni labe hoc in negocio careat . Apud Catholicos vero Societatis nomini ac existimationi, hac iniqua innocentium traductione plurimum splendoris accessisse, momenti non parum ad eorum animos in fide confirmandos habituri constat,testantibus omnibus hæc religionis causa,impugnantibus hæresim per summam injuriam impingi,

pingi; sperantibus molem hanc in dæmonis huius tertiæ sceleris authoris, ingenti ipsius damno Dei, Societatisque gloria relapsuram.

QVAE ergo de Societatis nostræ immanitate effera in Regibus ac Ducibus trucidâdis per orbem efficta sparsoque sunt nostris conatibus obstaculo fuere per maximo. Ex messe tamen, en manipulum damus. Ecclesiæ Catholice partim dati, partim redditi 46. Ab errante & perdita vita reuocati 147. hi decursorum annorum spatia generali pœnitudinis fonte eluentes, vitæ nouæ rationem instituerunt. Sacris epulis refecti sunt ad 843. Connubio impie contracto Ecclesiæ ritum recognouerunt coniuges 27. Capite salubriter loti 79. Zelandum quendam is ardor occupauit, auditio Sacerdotis Nostri in illas partes aduentu, ut eo non inuenio nullam sibi quietem daret. Desiderio potitus, se de tota vita accusauit. Profuit illi; alijs plurimum. Matrem, fratrem, nepotem, generum, & eius sororem desiderio veritatis inflammatas ad Patrem adduxit. Non fuit Patri difficile diuinis præceptis informare ac sacramentis perpolire sua sponte accurrentes. Renouanda tamen fuit matrimonij perperam initi formula ac cœrimonia. Generante vnda tinctæ eorum proles quatuor. Actus idem vir bonus, eodem spiritu, omnes qui sibi sanguine, aut consuetudine iuncti sunt, ut Christo adiungat omnino admittitur. Fidelium constantia hic suas laudes habet, non contemnendas. Maluit quædam diuturna inopia premi, quam hæreticorum, à quibus auxilijs spe inuitabatur, conciones audire. Ipsa Nostrorum aduentu & recreata & mysterijs sacris confirmata est. Domina nobilis, quæ cum lacte errorem hauserat, omnibus parentibus & amicis repugnantibus, Ecclesiæ filijs accessit. Puer nobilis iussus a parente conciones hæreticas audire, morbum simulauit lecto detinente: pulsus lecto à nouerca, neutquam impio mandato partuit. Vxori cuiusdam le-

Etarij

Etarij acerrimi , fixum ratumque , cum prolibus potius mendicato viuere , viro , parentibus amicis in se bacchan-tibus , quam Dei religionisve iura violare , aut à promo-uenda pietate desistere . Paruulae ei sunt filiae duæ : tertia viro data est . Hæc in aduersis forti animo pro religione perferendis , si matrem non vincit , certè exæquat . Maior è paruulis ornatum corporis docta spernere , Cur , inquit , multis utr cum Christus uno habitu contentus sit . Iussa à patre suo templum adire : Ibo , inquit , dum is conciona-bitur , cuius usibus templum extructum est . Minorem ve-rò , quæ sexennis est , si ad templum trahas , Non sum , in-quit , non sum hæretica .

PRO

